



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas III. An dominium distinguatur universaliter ab usu?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

tis excludit negationem acceptationis libertatis, adeoque servitutem, ex quo principio inferitur, esse illum, qui fuerat servus, liberum; quia tamen acceptio libertatis non excludit pro illo instanti potestatem disponendi de se, tanquam de re Domini, adhuc salvabitur dominium in Domino, adeoque sub hoc titulo, inducetur ratio adhuc servi.

SECUNDUM ABSURDUM ex Haunoldo. Ex hac sententia sequitur, quod quando quis iusto pretio alteri rem vendit & tradit, accepto vicissim pretio, (ponamus in instanti) sequitur tam emptorem quam venditorem in instanti venditionis esse factum ditiores: ambo enim, collectivè accepti, plus haberent, quam habuerint prius: & simul etiam sequeretur, quod non plus haberent: quia nihil est in ipsorum dominio assignabile, quod non etiam prius habuerint. Sequelæ autem sunt contra naturam contractus & æquitatem: præterea ambo simul non essent ditiores: quia quivis scorsim sumptus, est Dominus & mercis & pretii: quæ omnia sunt absurda.

RESPOND. Concedi posse sequelam utrumque; scilicet esse factum ditiores, negando id autem esse contra naturam contractus, & æquitatem, qui contractus non attendunt ad instans considerationis metaphysicæ, sed ad temporaneam statumque acquisitionem. Negari etiam posset sequela, quod debeant censeri moraliter ditiores: quia sicut si replicaretur unus idemque calor in tribus subjectis, non plus haberet unum subjectum, quam reliqua. In præsentia autem supra eundem terminum, cadit dominium, quamvis posset dici, extensivè, ut ita dicam, & ratione titularum, plus esse dominium in duobus, quam in uno, sed non plus ratione termini.

TERTIUM absurdum est. Cujus meminit Lugo ex Bernal. quia si Michaël manet Dominus & instanti, quo donat Gabrieli centum, & Gabriel eodem instanti pro posteriori naturæ, velit illis centum, solvere Michaëli, alia centum, quæ ei aliunde debebat: sequitur, solutionem illam non esse ex iustitia: quia non potest solvi ex bonis, quæ sunt creditoris.

RESPOND. Solutionem ex bonis simpliciter creditoris nullam esse, secus solutionem ex bonis quæ simul sunt debitoris, modo in illo extinguatur jus, evadantque postea bona, non nisi creditoris.

OBJECIT 6. Hæc propositio: Ego abjicio dominium libri, est practica. Ergo, operatur de præsentia, cum sit vera de præsentia. Omnis autem qui dat librum, dicit implicitè, & posset dicere explicitè; Ego me spolio dominio libri.

RESPONDETUR. Quod tunc privet se homo dominio, hoc sensu: quia facit hoc dominium ultimo esse.

OBJECIT 7. Ergo etiam ejusdem dominium poterit esse in pluribus, adeoque in infinitis, scilicet Angelis.

RESP. Posse esse in infinitis Syncategorematicè: nam non datur infinitum Categorematicum. Ad solvendas alias Objectiones.

Noro 1. Dependenciam dominii duplicem

esse, dependentiam, ut dicam causalitatis, seu causati dominii, secundum quam dominium unus, causat dominium alius, & hæc dependentia non obest dominio; causam enim esse, & productum dominium, non tollit, sed ponit dominium. Alia est dependentia fundans revocabilitatem, & hæc tollit dominium. In præsentia autem habetur non nisi prior dependentia.

Noro 2. Mentem Auctorum de hac donatione. Imaginantur illi, quod Deus creaturæ possit aliquid iustitialiter dare, sine ulla translatione dominii, cum illo instanti uterque sit dominus, & quia, quod Deus uno instanti facit, tota æternitate facit, durabit dominium Dei semper. Sed id non convincit, quomodo enim erit illa vera donatio iustitialis? de quo infra. Et quamvis æternitatem mensurentur actiones Dei, secundum id, quod dicunt in recto, secundum tamen id, quod dicunt in obliquo, respiciunt diversa connotata. Et sicut ratione diversorum connotatorum verificatur hæc propositio, in iustificatione impii: Jam illi Deus non irascitur, sed irascebatur: ita tunc dici posset: Jam illi Deus non donat, sed donarat.

Noro 3. Quid sentiendum de doctrina Aldrete? qui admittit quidem dominium in instanti donationis in utroque, in neutro tamen perfectum, idque ex eo: quia Dominus rei, si sit perfectè Dominus illius, nequit alteri inferre injuriam, quocumque modo utatur re. Si enim facit injuriam, apparet, quod potestas seu dominium illius, non extendatur ad illum usum possibilem: Dominium autem plenum ad omnem usum se extendit, illi autè ad invicem possent sibi tunc injuriam inferre. Sed id etiam non convincit: quia dominium propriè salvandum sufficit, quod secundum suppositionem antecedentem possit disponere, licet ex suppositione consequenti non possit, de quo supra.

DIFFICULTAS III.

An dominium distinguatur universaliter ab usu?

CONSENTIUNT Auctores, dominium interdum distinguui ab usu tam juris, quam facti: neuter enim horum usuum, saltè interdum, dicit jus in substantiam rei, in quam jus dicit dominium. Quia tamen interdum ita utimur rebus, ut in ipso usu, vel moraliter ut pecunia, vel physicè ut bolus pomi consumatur, ipsa substantia rei, difficultas confurgit: Quo modo tunc non habeatur jus in ipsam substantiam, cum habeatur jus in usum, qui ipsam substantiam rei absorbit?

DICENDUM est. Etiam in rebus uno usu consumptibilibus dominium distinguui ab usu. Est Conclusio Pontificum Nicolai III. Clementis V. Innocentii IV. Alexandri IV. Gregorii IX. Post illos Suar. Sanch. Mol. Less. Valent. Tanner. Lugo. Dicast. & aliorum; defactoque censetur paupertas Minorum, esse talis. Nam nec Communitates illorum habent dominium in bona; est autè cont. Joan. 22. Papam Cajet. Turrec. Sylvest. Aragon.

PROBATUR 1. In rebus non consumptibilibus uno usu, distinguuitur dominium ab illo usu, distinguuitur item ab usu juris. Ergo, etiam di-

R. P.
TH. MLOD
Liaowski
Tom 3. et 4.
D. VI
6

guetur dominium rerum uno usu consumptibilium, & usus facti. Probatur Consequentia. Ideo Antecedens est verum: quia potest aliquis usum illum tradere, retento sibi dominio. Sed etiam in presenti idem fieri potest; cur non enim? idque titulo causalis adlatæ, nempe, quia potest aliquis dare usum tantum & non dominium. Ergo. Deinde si dominium non esset separabile ab usu rerum uno usu consumptibilium, acquireretur dominium in substantiam; vel antecederet ad æqualem usum, vel in ipso usu: non primum, quia qui habet, potestatem revocabilem, & quæ exerceri non potest nisi cum injuria alterius, ille non habet dominium, sed antecederet ad usum rerum uno usu consumptibilium, habetur potestas revocabilis, & quæ exerceri non potest, si invitatus sit Dominus, nisi cum injuria alterius; Ergo, tunc non habetur dominium. Non etiam dici potest secundum: quia impossibile est transire à non esse domini, ad esse domini, sine sufficienti mutatione; hæc autem, non alia, sufficit; nempe voluntas transferendi dominium, posita à Domino, quæ supponitur, non haberi.

Denique si non distingueretur dominium ab usu rerum uno usu consumptibilium, ideo non distingueretur: quia ita tunc haberetur potestas in usum, ut simul haberetur potestas in usum substantiæ, sed hoc non probat dari tunc dominium: quia etiam in substantiam, antecederet, semper est illa potestas revocabilis, & obnoxia, ut exercetur non nisi cum injuria. Ergo non fundat titulum domini. Et certe tunc potestas in usum circa substantiam rei, trahit secum dominium, quando non ex accidenti, nec ex alio titulo, petit substantia rei, sed ex titulo potestatis utendi, alias aliquo utente re, quæ non uno usu destruitur, si destrueretur illa res à Deo, sciretque utens securam destructionem, deberet dici Dominus illius rei. Jam autem ex accidenti est, quod tunc destruitur substantia rei, scilicet ex conditione ipsiusmet illius rei ita petentis destrui. Unde etiam si miraculose servaretur substantia rei, uno usu consumptibilis, poneretur tamen usus, non haberetur tunc ulla potestas in substantiam rei, sed in solum usum. Ergo, apparet ex accidenti id evenire. Quando itaque conceditur usus facti supra rem uno usu consumptibilem, formatur hic actus: Concedo tibi solum usum, licet ex accidenti sit illius substantia usu peritura, utque pereat, utorte, tanquam instrumento.

PROBATUR 2. Quia, ut urget Valent. Lessi. Lugo Dicast. ad dominium, rei quæ datur alicui, requiritur non solum voluntas dantis, sed etiam voluntas acceptantis; potest autem quis non acceptare illud dominium. Illustrat id Sotus exemplo convivarum, qui utuntur epulis sine dominio illarum. Quando autem nemo illis potest auferre epulas, nisi invitans, non oritur hoc ex aliquo dominio in cibos, sed quia habet jus naturale, ne quisquam eum privet favore alterius.

PROBATUR 3. Quia, ut urget Lugo & Dicast.

esse rei dominium, non est tantum posse rem quovis modo destruere, sed posse id liberè & independentè ab alio; potest autem esse usus rerum uno usu consumptibilium revocabilis, & dependens.

OBJICITUR 1. ab Auctoritate. Prima Auctoritas est Joannis 22. Papæ:

RESPONDETUR aliqui. Locutum esse Pontificem, de usu talium rerum irrevocabili & independenti. Alii concedunt, oppositum sensisse Pontificem. Sed objecit sibi Lessi. Ergo, erravit hoc sentiendo. Respondet: Esto! quia non in questione pertinenti ad fidem, neque hoc proposuit tanquam articulum, neque obligavit ad ita sentendum: sed ut vir doctus, suam sententiam explicuit: quod etiam affirmat Bellarminus. Jam autem Sotus & Ledesma apud Sanchez dicunt; ita sensisse laceffitum, ab Ochamo, & aliis Franciscanis; tale autem dominium licet à se abdicaret Joannes, sed acceptavit Martinus V. & Paulus III.

2. AUCTORITAS est. Variæ dispositiones Legis.

RESPONDETUR. Illæ solum hoc ponunt, quod usus irrevocabilis & independentis circa talia, non distinguitur à dominio.

3. AUCTORITAS est. S. Thomæ 2. 2dæ q. 76. a. 1. sed S. Thomas eodem modo explicandus, ut leges.

OBJICITUR 2. Usus est jus utenti salvæ rei substantiæ, sed in rebus unico usu consumptibilibus, non potest esse jus utendi, salvæ rei substantiæ. Ergo, in talibus non erit merus usus, sed simul conjunctio domini.

RESPONDETUR. Usus esse jus utendi salvæ rei substantiæ, quod jus retinet, dans usum fructus, quia potestas ea utendi, antecederet, revocari potest. Hoc autem etiam in presenti habetur. Dici etiam potest, quod usus sit jus utendi salvæ rei substantiæ, hoc sensu, ut per se non habeatur jus in substantiam; sed non hoc sensu, quasi ex accidenti, non possit connecti etiam destructio substantiæ, idque per utentem, tanquam instrumentum Domini. Jam autem dominium, debet esse per se potestas in substantiam rei.

OBJICITUR 3. Si dominium etiam in talibus esset separabile ab usu. Ergo, etiam usus pecuniæ separari poterit à dominio: non enim est major ratio unius, quam alterius; hoc autem non potest dici: quia alias licita erit usura: ideo enim est illicita: quia usus pecuniæ non habet distinctum valorem, ab ipsamet pecunia. Deinde, si distinguitur usus in talibus à dominio. Ergo, etiam poterit vendere aliquis usum pecuniæ, dominium sibi retinendo.

RESPOND. Concedendo usum pecuniæ esse distinctum à dominio pecuniæ, talisque habetur in Religiosis v. g. viatoribus; nec inde sequetur licitam fore usuram: quia licet usus pecuniæ irrevocabilis non habeat distinctum valorem à pecunia; usus tamen irrevocabilis, habet distinctum valorem à pecunia, seu in ipsamet substantiam pecuniæ; quia autem in mutuo datur usus pecuniæ

ceniz irrevocabilis, sit, ut in illo mutuo domi-
nium ab usu separari non possit: quamvis n. post
designatum tempus teneatur mutuarius solve-
re, non tenetur ipsam substantiam eandem red-
dere, sed pro substantia & usu substituit æquiva-
lentem substantiam ad utendum, ita ut præha-
bentem ante tempus elapsum jus in usum & sub-
stantiam irrevocabile. Restat de hoc discurre-
re: An usus revocabilis pecuniæ, possit licite vendi?

RESPONDET I. Sanchi. cit. Lib. 7. c. 18. n. 22.
quod id licitum sit: sed tunc, non esse verum
mutuum: dicit item pro ea usus licentia, recipi
mutuum: dicit item aliquod, ne utique: tamen lice-
bit pacisci, ut in omni eventu totum reddatur;
sed si res illa adhuc exstet, poterit à Domino re-
vocari, si non exstet, peribit non nisi Domino.

INSTAT I. Lugo. Non videtur aliquid pre-
tium æstimabile dari ab eo, qui solum dat usum
pecuniæ dependentem: nam revera nihil minus
habet in illa re, cum habeat potestatem expedi-
tam, utendi pecuniâ pro libitu. Quod patet,
inquit, à posteriori: quia post acceptum pre-
tium, potest revocare illâ licentiam, retinereq;
& usum pecuniæ, & pretium, quod est injustum.

RESPONDET I. potest. Potestatem quidem
in substantiam & usum, æquæ se tunc habere in
datte, sed non æquæ se habere exercitium illius
potestatis, quam negationem exercitii, ponit in
bonum usufructuarii: cur ergo ratione illius boni, nihil
poterit accipere? Concedo etiam, quod post
acceptam pecuniam pro usu, possit revocare pec-
uniam, sed nego, quod retinebit pretiū gratis;
si de facto non revocet, nec revocaverit; retine-
bit ergo illud propter negationem exercitii po-
testatis ad revocandum, quam negatione exer-
citii, ponit, in gratiam usufructuarii. Et sicut gratia effi-
cax in Nostrorum principiis, quamvis possit non
esse efficax, quia tamen est futura efficax, habet
plus in ratione beneficii præiudicanti: ita quā-
vis aliquis possit revocare usum, quia non revo-
cat, facit rem utilem usufructuario, ratione cuius utili-
tatis, si accedant circumstantiæ consimiles iis,
quæ in mutuo iustificat acceptionem ultra for-
tem, cur, inquam, aliquid accipi non poterit? ita;
ut casu, quo revocet, secundum datam restituere
debeat pretium acceptum pro usu; & si non
revocet, possit retinere; quamvis non tantum
accipiendo, quantum acciperet aliās v.g. ratio-
ne lucri cessantis pro mutuo absoluto: quia re-
tentione potestatis revocandi valde dimittit pre-
tium rei. Rursus, in mutuo, si accedat circum-
stantia lucri cessantis, damni emergentis, fun-
datur titulus accipiendi ultra sortem. Ergo, si
idem accidat in negatione exercitii potestatis,
revocandi usum, poterit aliquid iuste accipi.

Neq; tamen tunc erit usura: nam definitivè
usura debet esse ratione mutui, acceptionis, adeoq;
debet tunc esse in mutuarii translatio domini,
& usus, si est translatio domini, & usus. Ergo,
respectu donantis, res se illa jam habet ut aliena;
& non ipsius; ex alieno autem, nemo sibi debet
facere fructum. Jam autem tunc dominium

manebit penes concedentem. Hinc adhuc ex
suo, faciet sibi fructum. Deinde, ut sit usura,
debet accipi præcisè ratione mutui; si autem
accedat titulus lucri cessantis, damni emergen-
tis, non erit usura; ita & in præsentem foret usu-
râ, sed supponuntur accedere tituli prædicti.

INSTAT I. potest. 2. ex eodem. Licet illa li-
centia sit pretio æstimabilis, sed non vendibilis
ab eo, qui revocabiliter dat: quia venditio, est
contractus ab utraq; parte obligativus: ad nihil
autem obligatur is, qui dat revocabilem usum.

RESPONDETUR. Gravari adhuc etiam il-
lum, quia licet possit revocare, non est revoca-
turus, nec revocat: & si revocaret, deberet ac-
ceptum ultra sortem restituere: neq; enim ha-
beret damnum emergens, vel lucrum cessans,
quæ duo, iustificat illam acceptionem.

INSTAT I. 3. Totum illud sit gratuitum: gra-
tuita autem non possunt pretio compenari.

RESPONDET. Sicut in mutuo, non gratuita mu-
tuatio, fundat acceptionem ultra sortem, sed al-
ius titulus in præsentem. Est autem in hac ita & irre-
vocatione distinctio ab irrevocatione, quæ se-
quitur usum juris: quia etiam pretio reddito,
quod accepit pro usu juris, adhuc facit injuriam
revocando, nisi alter consentiat: deicit enim
eum bono pacti, nec supponitur habere ante
tempus designatum potestatem revocandi. In
præsentem autem casu, supponitur istam potesta-
tem habere. Hanc etiam Responsum tuc-
tur Less. Lib. 2. c. 3. n. 37.

RESPONDET 2. de Lugo. Negando, posse
dari aliquid pro usu pecuniæ revocabili. Addit
tamen quod habens talem usum possit illum
vendere, modo se obliget, quod eum, quantum
ex se, non sit revocaturus. *Hæc Responso*

NON SATIS FACIT. Nego enim; quod ta-
lis venditor nihil prorsus det quoad usum, con-
sequenter vendere illud poterit. Additum au-
tem ejusdem tenet.

OBJICITUR 4. Ex iis, quæ adfert Lugo. Si
in rebus uno usu consumptibilibus distinguitur
usus à dominio. Ergo, Religiosus invitatus à sa-
culari pro prandio comedendo, non peccat
contra paupertatem: non enim accipit, jus ali-
quod in cibis.

RESPONDETUR. Universalem taxam, an
aliquid sit contra votum paupertatis, non solum
esse in hoc: quia acquiritur jus aliquod in rem;
sed etiam, ne habeatur usus independens: aliās
furans Religioni nunquam peccaret: non enim
in sic ablata, acquirit jus. Et hoc quidem est ad
vim sequelæ. Quantum autem attinet ad
ipsum objectum, placet Lugo non esse id contra
votum paupertatis: quia se ille habet tunc pas-
sivè potius, quam activè, eo quod moraliter
censeatur tunc Dominus uti re sua; circa perso-
nam Religiosi, quam potius ipse, re illa uti: si
tamen domi comederet missa, peccaret per
eundem contra paupertatem: quia, moraliter
loquendo, censeatur tunc activè se habere.
Cæterum si Religiosus accipiat gratiam in flu-

R. P.
H. M. LOD.
H. M. W. SKI.
Tom 3. et 4.
D. VI
6

vium projiciendam, eleemosynas alieno nomine distribuendas, cercoas, & aromata in Ecclesia consumenda, per Lugo, non peccat contra paupertatem: quia in istis omnibus activè se non habet, moraliter loquendo, utiturq; illis non in suum commodum: non enim obligat me votum, ut non liberentur ab egestate per me alii, sed ut ego egeam, nisi forte id faceret Religiosus in fraudem.

OBJICITUR 5. Qui potest rem donare, vendere, est Dominus rei. Ergo, & qui potest destruere; hoc autem contingit in usu rerum, ut nico usu consumptibilium.

RESPONDETUR. Posse id proprio nomine & irrevocabiler, arguit dominium; secus si fiat alieno nomine & revocabiler. Minores autem vendunt & dant nomine Papæ, habentque usum revocabilem.

QUÆSTIO III.

De iure, in quantum Lex est.

U Sus confundit has voces, jus & lex. Unde dicimus, jus est naturæ, lex est naturæ. Vocatur autem jus pro lege acceptum, à jubendo: Leges enim jubent, ut quo. De legibus totos integros instruunt Auctores & Legistæ: spectatq; hæc tractatio ad jus Canonicum & civile, paucissima hic notando decurremus.

NOTO I. Quid jus? seu lex in communi?

EXPLICAT I. Arriaga, d. i. de Leg. post init. Quod lex sit præceptum stabile, justum, commune ad faciendum, ad omittendum rem aliquam obligans. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia; superflue ponitur illa particula: Justum, si enim justum non sit præceptum, non erit lex, sed oppressio. Et sicut, licet dividatur homo in verum & pi-ctum, tamen in definitione hominis, non ponitur, quod sit animal rationale verum; ipsumq; rationale, sine addito, supponit pro vero. Ergo, etiam & lex supponet pro iusta, vel præceptum obligans. Tum quia. Etiam Ly obligativum, videtur superflue: si enim præceptum est, obligativum est. Tum quia. Si nihil obsit, definitiones antiquæ rerum retinendæ.

EXPLICAT 2. S. Thomas i. 2. q. 90. a. 1. in Corpore. Quod lex sit *quedam regula, seu mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur.* Hæc explicatio, si ut sonat, accipiat.

NON SATISFACIT. Quia nullæ sunt propriæ leges respectu brutorum, & eorum, quæ habent nonnisi esse; & tamen etiam respectu brutorum datur certa mensura inducens ad agendum, vel ab agendo retrahens; gravitas item corporum inducit ad motum deorsum, & levitas retrahit. Deinde, ut urget Suar. de Legib. l. i. c. i. sequeretur, consilia recta esse le-

gem: nam etiam illa trahunt, vel retrahunt ab agendo. Si tamen accipiat prædicta explicatio, prout supponit, recta est, supponit enim pro regula humanorum actuum, vel actuum deliberatorum creaturæ intellectualis: supponit item pro inductione obligativa, qualem inductionem non dicit consilium. Ad quæ respiciendo Suar. sic accommodavit prædictam definitionem. Quod lex sit. Mensura quædam actuum moralium; ita ut per conformitatem ad illam rectitudinem moralem habeant, & si ab illa discordent, obliqui sunt.

EXPLICAT 3. Idem S. Thomas, loco cit. n. 4. quod lex nihil sit aliud, quam *quedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Hæc explicatione non est contentus Arriaga cit. n. 4. cum quo

DICES Primo, quia gratis supponitur, legem esse actum intellectus, cum de hoc disputetur.

RESPONDERI potest. Disputari quidem, an sit actus intellectus in recto, an proxime, sed conveniunt omnes, rationem, in lege involvi, saltem præsuppositivè, ratione cujus involutionis, bene procedit doctrina S. Thomæ, præcipue cum Ly *ordinatio*, etiam ad voluntatem trahi possit.

DICES Secundo, quia immerito addita *promulgatio*, in definitione, cum promulgatio sit nonnisi conditio, & non essentia, legis.

RESPONDERI potest. Promulgationem sumptam pro ipso exercitio legislativæ potentia, quæ promulgat actu externo, mentem legislatoris, esse de essentia legis. Addi potest; quod in definitionibus rerum moralium, possint etiam circumstantiæ poni, quando illæ ad totam completam moralitatem, requiruntur.

DICES Tertio, non est de essentia legis ut sit in bonum communitatis, cum possit esse in bonum privatorum, sufficeretque ad maximum, ut lex sit communis, licet non in bonum communitatis.

RESPONDETUR. Legem debere esse non in bonum privatorum; quia non distinguere- tur à simplici præcepto, & si est communis, est in bonum communitatis: quia si lex sit communis, est bona omnibus, adeoque in bonum omnium, consequenter, non in bonum privatorum, quæ privati sunt.

NOTO 2. Quotplex sit Lex? Multiplicitas legis hoc discursu proponi potest. Lex est regula obligativa agendi: quia verò ipsa natura per lumen rationis describit etiam nobis modum agendi, eumq; obligativum, debet dari lex naturalis, quæ definitivè est, *Regula agendi obligativa, eod quod hoc sit consonum naturæ intellectuali.* Quia verò præter dictamen hoc, poterant statui regulæ obligativæ agendi, idque ex placito, hæc regulæ vocantur jus positivum; quod defini-

niti-